



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Quæstio 25. Quid si fiat cum periculo perversionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

574 Pars 3. tract. 6. Resolutiones practica ad Gr.  
terminis juris, positâ tali promissione, non vide-  
tur ea dispensatio necessaria. Nisi forte alicubi  
consuetudo obtineret, ut eo etiam casu dispen-  
satio petatur, nam ex tali consuetudine censere-  
tur prohibitio matrimonij cum parte hæretica  
ad hunc etiam casum ampliata.

Existimo tamen cum Lugo, contra Hurt. su-  
pra, requiri dispensationem, quando spes con-  
versionis conjugis hæretici non oritur ex *promis-  
sione*, sed tantum ex bona ejus indole, aut animo  
non obstinato, etsi Catholicæ conjugij, & proli  
libertatem fidei relinquat. Quia lex supra citata  
solum excipit casum, quo coniux hæreticus con-  
versionem ad fidem expressè promittit.

#### QUÆSTIO XXV.

**Q**uid si hæreticus non promittat conversio-  
nem, & adsit aliquod periculum perver-  
sionis conjugis Catholicæ, an tale matrimonium  
aliquando possit esse licitum? &, an eo casu sit  
necessaria dispensatio?

**R**espondeo ad primum, in utroque casu pos-  
se aliquando contingere aliunde concurre-  
re commoda maximi momenti, quæ compen-  
sent incommoda & pericula in casu allata, &  
reddant illud matrimonium ad publicum reli-  
gionis bonum conducibile: Ut si eâ occasione  
concedatur libertas profitendi religionem Ca-  
tholicam ubi antea erat negata: si filij sperentur  
Catholicè educandi, aut alia his æquivalentia.  
Non enim est illicitum aliquando se exponere  
periculo peccandi propter aliquod bonum maxi-  
mi momenti, cum proposito tamen cum Dei  
gratia tentationi & peccato resistendi: cuius  
exemplum est in connubio Estheris cum Assue-  
ro



ro infideli: & confirmatur in facto Judithæ, quæ ut populum suum salvaret se suamque castitatem periculo exposuit, ut fatentur plures Interpretes cum S. Ambrosio lib. 3. de offic. cap. 12. *Non exponit (inquit) mortis periculum, sed nec pudoris, quod est gravius bonis faminis.* Ita etiam sentit Lugo de fide d. 22. f. 2. n. 22. Diana p. 3. tr. 4. ref. 269.

Respondeo ad secundum. In casu prædictæ resolutionis petendam esse dispensationem, ut tollatur prohibitio legis Ecclesiasticæ. Ubi notat Pontius cum Lugo, & Salas disp. 20. de leg. s. 7. n. 74. aliquando ex tali connubio posse tot & tanta bona provenire, ut non solum possit, sed etiam debeat dispensatio concedi.

### QUÆSTIO XXVI.

**A**N Parochus absque peccato possit assistere matrimonio, quod sine iusta causa contrahitur cum persona hæretica?

Negat Serrarius de matrim. cum hæret. cap. 3. n. 121. id fieri posse absque peccato, nisi persona hæretica conversionem promittat. Quia existimat Parochum per hoc cooperari matrimonio illicito Catholici cum hæretico, ex eo quod eius præsentia reddat habiles ad contrahendum, qui sine ea post Tridentinum habiles non essent, ac proinde cum peccent contrahentes, assistere eorum matrimonio aliud non esse quam eorum peccato cooperari.

**R**espondeo tamen, Parochum ex causa posse absque peccato eiusmodi assistentiam præbere. Et probor, contra Serrarium, Parochum per hoc contrahentium peccato non cooperari. Quia ille non assistit matrimonio tanquam minister, sed

TAR-